Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 8. Homo quidam erat diues. Manifestat Dominus, diuitem illum fuisse cloâcam peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

§. 8. Homo quidam erat diues. *Manifeſtat Dominus, diuitem illum fuiſſe cloacam peccatorum.*

☞ 16

EX his, huius Euangelij ſenſum capimus legitimum, qui nullus alius eſt, quàm proceſſus viro cuidam intentatus, quem Chriſtus tribus format articulis, exactiùs diſpoſitus, quàm Bartholus aut Baldus diſponere vnquam potuiſſent. Primò: habebat vir ille mundi huius ſubſtantiam. Secundò: vidit fratrem ſuum neceſſitatem habere. Tertiò: clauſit viſcera ſua ab eo; eratque de grege eorum, de quibus Dauid: *Adipem ſuum concluſerunt.* Eodem ordine quo illos proponit, eoſdem & probat euidenter, atque ex ijs ſententiam elicit condemnationis ad æternam mortem pœnaſque ſempiternas. Non dico diuitem aliorũ criminum reum non fuiſſe; quinimo ſentina erat ac colluuies peccatorum. Graues quidem Doctores notant quòd in illo vno Chriſtus omnia deſignare voluerit Epulonis ſcelera in illis quas refert circumſtantijs, ſcilicet tribus. Prima: quòd diues erat. Secunda: quòd induebatur purpura & byſſo. Tertia: quòd epulabatur quotidie ſplendidè.

Pſ. 16. 10.

I.
Ad tria capita omnia peccata reducuntur.

Ad tria capita reducit D. Ioannes omnia mundi peccata: *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Hæc omnia in diuite illo perpende. Primum eſt oculorum concupiſcentia, nimirum auaritia, de illa illum arguit, dum ait: *Homo quidam erat diues.* Non ait: habebat diuitias: hoc enim nemo peccati inſimulat: quinimo multi cum eis illas fideliter diſtribuentes euaſerunt ſancti & beatitudinis præmia ſunt aſſecuti: ſed: *Homo erat diues* &c. per hoc ſignificans totam eius eſſentiam conſiſtere in diuitijs, hoc eius eſſe officium, hoc exercitium, hoc vitam velut dum dicimus: vir ille iudex eſt, mercator ſcriba &c.

1. Ioan. 2. 16.

Notant D. Hieron. *a.* D. Auguſti. *b.* Theophilactus. *c.* D. Thom. *d.* modum Chriſti loquendi, dum ait: *Diues difficile ſaluabitur; facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Quibus verbis impoſſibilitatem indicat (teſtibus D. Hiero. & D. Auguſt.) ſicut tranſire camelum per foramen acus impoſſibile iudicamus: quod ibi non dicat Chriſtus: is qui diuitias poſſidet ſeu habet; ſed, diues, nomen enim diuitis proprie de eo dicitur, qui totum ſuum eſſe habet in diuitijs, nullum præter illas habet aliud eſſe, & quàm agere de his, quia diuitem eſſe, proprietas ipſi eſt & attributum, quod totum implet ſubiectum. Vnde ſi (inquit D. Hieron.) opponas Abraham, Iſaac & Iacob, alioſque Patriarchas, qui, licet diuites, intrarunt in regnum cœlorum, reſpondebo tibi, ne illos diuites dixeris, ſed viros, qui diuitias habuerunt, earumque fuerunt fideliſſimi diſpenſatores: *Nec mihi Abraham, cæteroſque quos in veteri teſtamento diuites legimus, exemplo proponas, qui ingreſſi ſunt regna cœlorum: cum ipſis diuitijs magis diſpenſatores Dei, quam diuites appellandi ſint.* Ita conuerti licet, quod D. Paulus hoc loquendi modo vſus, non eos condemnat, qui diuitias habent, ſed quod eos, qui contendunt diuites fieri, diabolus illaqueat: *Qui volunt diues fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Talis hic infelix fuiſſe reprehenditur: *Homo erat diues.* Anima eius, eius intellectus, affectio, voluntas his ſolummodo intendebant. Videtur autem illum (teſte D. Auguſtin.) Dauid rex digito demonſtrare: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum.* Inter illos cenſetur, qui vt fundamentum ac certam tuentur ſententiam, duas tantum, in hoc mundo reperi familias: vnam eorum, qui diuitias poſſident, alteram, eorum qui illis carent, vno verbo, diuites, & pauperes. Illi, ſicut omnem ſtatuunt entitatem, valorem ac pretium, in habendo diuitias, in ipſis etiam totum ſuum collocant ſtudium, cogitationes, affectus, animam, ac voluntatem, Dei immemores, non Deo, ſed ſuis diuitijs ex corde confidentes: *Sperauit in multitudine diuitiarum ſuarum,* quas vt Deos ſuos adorant, ex ipſis namque ſibi proſpera cuncta ſperant, in prætenſionibus, dignitatibus, matrimonijs; ſuis malis laboribuſque certum expectant remedium; per eas ſe credunt ſuis liberandos anguſtijs, nullos ſibi medicos defuturos, nullas in morbis medicinas: non aduocatos iudiceſq; ſuis in litibus ſibi patrocinantes, non amicos ſuis in prætenſionibus: ſic vt per illas negotijs ſuis in omnibus exitum ſibi ſpondeant optatiſſimum. De his hoc oritur prouerbium: *Quantum potes tantus eris. Prouerbium auarorum rapacium innocentes opprimentiũ, res alienas inuadentium,* ait D. Aug. Prouerbium eſt hominum mente perditorum, qui huic innitentes nihil agunt aliud, quàm opes congerere, cumulare, theſaurizare per fas per nefas: *Quale hoc prouerbium: Quantum habueris tantus eris, id eſt, quantum habueris pecuniæ, quantum plus acquiſieris tanto plus poteris.* Hanc propoſitionem ſequebatur, hoc prouerbio ducebatur is, quem Dauid

a l. 2. contra Pelag. non longe à princip.
b Epiſt. 90 ad Hilarium.
c in c. 19. Matth.
d 2. 2. q. 186. a. 3. ad 4.
Matt. 19. 24.

1. Tim. 6. 9.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

David indice prodit: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum.*

Sic ſe res habet, quòd ſit peccatum, & nedum peccatum, ſed mille radix peccatorum: *Radix omnium malorum cupiditas*; periuriorum, vſurarum, iniquitatum, inuidiarum, obliuionis Dei, bonorum cœleſtium contemptus, & in ſuarum tãtum ciſtarum diuitijs fiduciæ. En quàm bonum principium, & in eo fundat totum quod habet hominis in diuitiarum concupiſcentia, atque in earum aſſidua procuratione.

Secundum, ſuperbia, cuius eum Chriſtus redarguit, dum ait: *Induebatur purpura & byſſo.* Regina Eſther, dum ſe regalibus ornat veſtimentis, & mundo muliebri fulget auguſtior, ad Deum conuerſa, proteſtatur, hanc ſe veſtium aſſumpſiſſe pompam, non libidinis causâ, ſed coactam neceſſitatis articulo; cuius D. Hiero. verba accuratiùs expendit: Et prudenti ſapientia, vocat

Epiſt. 8. ad Demetr.

pretioſas ſuas veſtes: *Signum ſuperbiæ*, Ipſam audiamus. *Tu ſcis neceſſitatem meam, & quod abominer omne ſignum ſuperbiæ, & gloriæ, quod eſt ſuper caput meum, in diebus oſtentationis meæ.* Ob rationem quam expendit D. Chryſoſt. quòd, peccantem primum hominem Deus, veſtibus vilibus videlicet pellibus induit animalium mortuorum: vt veſtium abiectio illum ad cordis diſponeret humilitatem: ſicut etiam ad eandem intentionem, populo ſuo refrago ac ſeditioſo præcepit, veſtibus ſe nudaret pretioſis: quibus pompaticè ſuperbi gloriabatur: *Depone ornatum tuum.* Sanctum inquiſitionis officium vt puniat, ac rubore confundat à fide Apoſtatas, illis ſuperinduit *Sambenito* qua veſtis ſpecie eos deprimit, humiliat, ſummaque ſuffundit verecundia. Si quis ſumeret *Sambenito*, & auro gemmiſque adornaret, punctulis expoliret, ſe glorioſus illo iactaret, eum ſuperbum ac contra Sanctum Inquiſitionis officium impudentem notaremus, cum ſignum verecundiæ ac humilitatis, in ſignum verteret iactantiæ ac ſuperbiæ. Idem contingit homini, qui veſtium luxui, ac pompæ ſtudet curioſius. Veſtes enim teſte D. Athanaſio, dedit in principio, velut pœnitentiæ ſaccos & cilicia mortificationis: *Signum mortificationis, quæ per peccatum eis accidérat.* Quid moliuntur homines? expoliunt, adornant, acu depingunt illa: *Sambenito*, de illis gloriantur, quæ illis in ſignum tribuebantur ignominiæ, & habitum reconciliationis. Hinc illa naſcitur quotidiana verborum acrimonia, quâ viri Dei, veſtium inanem nouamque impugnant curioſitatem, præſertim in mulieribus, rationem

Eſther c. 14.16.

Ser. de lapſu primi hominis.

Exod. 33. 5.

III. Similitudo.

D. Athan.

quandam ex D. Paulo producentes, quâ probant quòd cũ D. Apoſtolus in particulari decernat, vt honeſtæ mulieres, piæ ac ſanctæ, veſtitu vterentur moderato, reiectis auro, margaritis, polymitis, pompis inanibus: hæc lubricis propria eſſe veſtimẽta meretricibus: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem* &c. eadem lingua loquitur D. Petrus.

1. Timoth. 2.9.

1. Pet. 3.

Tertium, luxuria, ſeu peccata carnalia. Horum illum Chriſtus condemnat dum ait: *Epulabatur quotidie ſplendidè*, quod ſolum ſufficit, vt ex eo omnia genera capiamus luxuriæ, laſciuiæ, detractionum, mollitie, quæ ex illo capite prodeunt vniuerſa, vt aduertit D. Gregorius & alias diſſeruimus. Ita vt, ex his quæ nobis Saluator de hoc vno peccato commemorat, inſinuet, hominem illum ſentinam, colluuiemque fuiſſe peccatorum. Quinimo, propterea (ſic notat D. Chryſoſt.) de eo loquitur cum maximo contemptu: *Homo quidam:* quem nec nominare dignetur: *Nec nomine quidem dignus eſt habitus: propterea dicit: Homo quidam:* quia reſpectu Dei, licet eſſe quis poſſit Crœſus alter opibus, nobilitate Cæſar, Hercules fortitudine, ſapientia Salomon, ſi peccator ſit, omnia deſpiciũtur, vileſcunt, ſpernuntque altidium. Hoc quod noſtra vulgata habet lectio: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ.* Legit D. Hier. *Quaſi ſcoriam computaſti omnes peccatores terræ*, vt Symmachus legerat. Aquila verò ſcribit: *Quid vinaciæ:* id eſt acini tunicas poſt expreſſas, ſiccaſque vuas, reliquias. Alij: *Quaſi quiſquilia* & non ſine fundamento: quia in Hebraico ſcribitur nomen *Seghim*, quod rem viliſſimam ſignificat, indicatam per ſcoriam, quiſquilias, vinacia. Perpende quàm hæc omnia viliſaciat, quàm paruipendat Deus peccatorem, diues licet in hoc mundo ſit, ſapiens, nobilis, exaltatus: *Quaſi ſcoriam.* Illud ſpectare videtur Matthatiæ: *Gloria viri peccatoris ſtercus & vermis eſt*, & talem Deus aſpernatur, flocci pendit, & non vnum ſolum, ſed: *Omnes peccatores terræ.* Omnes, licet Princeps ſis, Dux, dignitate tuiſque ſublimis, doctus quem digito demonſtrant, te Deus ſcoria reputat viliorem, ſi peccator ſis, nec te pluris facit Deus, eiuſque Angeli, quàm ſi ſtercorum immundorum manipulus eſſes. Vt ſaliua quam de ore proijcis ſunt, inquit Eſdras, omnes peccatores: cogita quanti illam æſtimes: *Reſiduas autem gentes ab Adam natas dixiſti eas nihil eſſe, & quoniam ſaliuæ aſſimilatæ ſunt, & quaſi ſtillicidium de vaſe ſimilaſti abundantiam eorum.* Omnes in vnum

17

3. p. Paſtor. admonit. 20.

Tract. 1.

D. Chr. Ho. de diuite inter homilias in Lucam. Tom. 2.

Pſ. 118. 119.

IV. Peccatores à Deo habentur viliſſimi.

1. Macha. 2.62.

4. Eſdras c. 6.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

coniuncti, non tanti ab eo æſtimantur, vt aquæ guttæ, quæ de vaſe guttatim effluunt. Dic igitur, quanti vnica valebit? Talis erat miſer ille, multum diſſimilis Lazaro (inquit D. Chryſoſt.) de quo tanto loquitur verborum honorabili apparatu, vt proprio eum nomine compellet: *Mendicus nomine Lazarus*, innuens, quod in aula ſua cœleſti apprimè & cognitus eſſet, & celebris, proprio ſuo nomine inter Angelorum choros deſignatus, de omnium ſuarum grege, de quibus

Ioan. 10. 3. ait: *Proprias oues vocat nominatim*, & de numero illorum tantæ æſtimationis, quos Pater æternus proprio nomine deſcriptos habet in cœlo, quod maximi faciendum eſt, ſicut Chri-

Luc. 10. 20. ſtus diſcipulis ſuis indicat, dum ait: *Gaudete & exultate, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.*

Ambo hæc deſcribit Rex & propheta, loquens

Pſ. 14. 4. de Chriſto, ex ſententia antiqui Arnobij: *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat.* Legit D. Hieronym. *Deſpicitur oculis eius improbus.* Caietan. & alij ſcribunt. *Contemptus ſiue ſpretus, reiectus & abominabilis in oculis eius malignus.* Omnia quippe hæc epitheta ex verbo hebraico deriuantur. In oculis Dei nihil magis contemptibile, abominabile, execrandum, ipſo peccatore, quicumque ſit ille. Verum enimvero glorificat, honorat, extollit timentes Deum: *Timentes autem Dominum glorificat:* pauper licet ille totus leprâ reſperſus, vt alter Lazarus. O quanti facit pauperculum ſanctum, complens illud Ec-

Eccl. 10. 23. cleſiaſtici: *Semen hominum honorabitur hoc, quod, timet Deum, ſemen autem exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.* Duo ſunt in mundo genera hominum: diuites & pauperes: honor autem ſolis ſeruatur diuitibus, contemptus pauperibus. Coram Deo, duo tantum ſunt genera hominum: boni, & mali; honor ſolis conceditur bonis, licet Codro pauperioribus: contemptus autem malis licet Cræſo ditioribus. Boni timentes Deum, illi ſunt, ad quos oculos ſuos benignus reflectit: *Qui timent Domi-*

Eccl. 10. 23. *num erunt in oculis eius.* Et tanti fiet ac honorabitur diues, quanti fuerit Dei famulus, eius mandata cuſtodierit, Dominumque timuerit:

Eccl. 10. 24. *Gloria diuitum, honoratiorum, & pauperum, timor Dei eſt.* Hinc concludit ſermo diuinus ne dederis diuiti honorem, ſi malus: quinimo, velut quiſquilias eum contempſeris, honores

Eccl. 10. 24. autem pauperem, ſi bonus ſit: *Noli deſpicere hominem iuſtum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem diuitem.* Obſerua quàm exactè hæc omnia Deus in hac hiſtoria proſequatur, mandetque executioni. Optima conſideratio, vt autem eam magni faciam, ſatis eſt quibuſdam eam Doctoribus placuiſſe.

§. 9. Diues. *Ex ſe peccatum non eſt, eſſe diuitem, nec quidem diuitias optare moderatas.*

Licet autem hæc ita ſint, dico tamen, quod ſæpius expendunt D. Auguſtinus. *a.* & D. Gregorius. *b.* quòd ex huius proceſſus meritis alia ſecurè non concludimus peccata directè, ob quæ cruciatibus fuerit addictus diues ille ſempiternis, quàm illud tantummodo quòd fuerit pauperi immiſericorditer crudelis, & cum haberet, quo mendico ſuccurreret, fame eum permiſit interire. Vnde apparet (inquit D. Auguſtin.) quòd nihil aliud illi Dominus impoſuerit, quod ex ſe & abſolutè fuerit peccatum pœnis caſtigandum: *Quod eſſet calumniator, aut pauperum oppreſſor, aut rerum alienarum delator aut receptor, aut pauperum ſpoliator, aut viduarum perſecutor: immiſericors erat, non aliena rapuit, ſed de proprijs erogare noluit. Hic diues,* (inquit D. Gregor.) *non abſtuliſſe aliena reprehenditur, ſed propria non dediſſe.* Tantùm tria proponit, quorum nullum ex ſe peccatum eſſe redarguitur. Primum, quòd diues eſſet. An hoc peccatum eſt? Hanc propoſitionem obiecit vir præclarus Hilarius D. Auguſtin. numeratur autem quarta difficultas inter plures alias, quas illi obiecit enodandas. Cui D. Auguſtin. reſpondet. Quandam exponens quæſtionem, quam poſtmodum explanauit D. Thom. quod difficulter quis diues ſit ſine peccato, in tantum vt teſtetur Spiritus S. *Si fueris diues, non eris immunis à peccato,* docet Chriſtus diuitias eſſe ſpinas. Num tu nudis pedibus calcare te poſſe ſpinas præſumeres, abſque eo quod te vlla configeret, vulnuſque infigeret doloroſum? vulneribus configitur diuitis anima: modò quia vix datur poſſibile (docet D. Thom.) ſuperflua ſolicitudine non inhiare diuitijs, opibuſque congerendis, modò, quia illas ſibi cumulans deſiderijs ardet inordinatis, vt merces pluris valeant, earum altius aſcendat pretium, tempus ſterilitatem cauſet, à debitore ſummo rigore debitum exigatur. Modò quia illas poſſidens nimis amat affectuoſè, & cor præter modum illis tenaciter affigitur, illis nimis fortiter adhæret fiducia, voluptate omni & mentis co-